Nobilibus et in Christo dilectis Johanni de Grimaldis barone Bolii et [illegible] consorti domino
et Bigote eius consorti ac liberis eorundem dominorum Nicien(sis), frater Nicholaus Vallisoletanus ordinis predi-
catorum magister, salutem et regnum dei devotis suffragiis promereri. Quoniam plenitudo celestium
graciarum in illis debet eminentius habundare, qui nobilitate generis super alios pollere singulariter dinoscuntur
de morum honestate et vite puritate sint ceteris exemplum. Ipsarum vero graciarum dona largiflua et copiosi-
us clementia redemptoris eis largius diffunduntur, dum suffragantur eorum merita, qui terrenis celebris ab-
dicatis, in custodiendis divinis preceptis et consiliis incessanter invigilant, secundum graciam a domino sibi
datam. Hinc est quod attendens vestre sincere dilectionis affectum, quem geritis ad nostrum ordinem, singularem,
vobis omnium missarum, orationum, predicationum, ieiuniorum, abstinenciarum, vigiliarum, laborum, ceterorumque
bonorum, que per fratres nostri ordinis dominus per mundum fieri dederit universum, participationem concedo tenore presentium specialem
in vita pariter et in morte, ut multiplici suffragiorum presidio et hic augmentum gracie et in futuro mereamini regnum consequi sempi-
ternum. In cuius concessionis testimonium sigillum nostri officii presentibus duxi apponendum. Datum apud Narbonam in nostro generali
capitulo in festo penthecostes celebrato, anno domini millesimo trecentesimo nonagesimo quarto.

7.2 Écriture gothique avec lettrine à l’encre dorée, 1394. AD06 Ni mazzo 18 n°12